



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

48. De tenebris & 4. verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

ita Joannes spiritum filij erga B. Mariam corde concepit & exhibuit. O mihi dari petam, ut bene mihi sit. Potissimum Joanni commendavit Matrem, ut Virginem Virgini, & quia Joannes ad crucem usque adhæsit Christo: ita castimonia & imitatio patientis Christi idoneos faciunt tali filiationi. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, lætus tali munere: tum quia à Magistro veniebat: tum quia servire tali Matri gloriosissimum ducebat.

MEDITATIO XLVIII.

De tenebris & quarto verbo.

PUNCTUM PRIMUM.

A *Sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Factum id est à Deo, ad detestationem sceleris, quod justitiæ soli vitam impij adimebant; atque ad significandum quantænam sint interiores cordis tenebræ improbæ gentis, & exteriores, quibus erat addicenda, ob tantum nefas.

Deinde, ut tanto prodigio clarificaretur Christus, cujus mortem sol lugeret, luctûque terram operiret, & utique exterriti malevoli, cessarent interea à subsannando vexandoque Domino. Tandem voluit ipse Christus, per silentium tenebrarum, recipere sese ad orandum, ut aliàs per noctem solitus erat, causamque nostram, & extremum illum actum Patri instantiùs commendare, ad exemplum nobis. Quale quid

Causæ
tenebra-
rum.

1.

2.

3.

quid etiam tunc fecisse Dei Matrem & Joannem, neququam dormientes, ut in horto discipuli, fas est credere.

PUNCTUM II.

IV. **C**irca horam nonam clamavit voce magna :
 Verbum **E**loi, Eloi, lammasabachani, quod est :
 doloris. **D**eus meus, Deus meus ! ut quid dereliquisti
 Triplex **m**e ? clamor & magna vox, sunt magni affectus
 desertio. **s**igna. Desertus erat in pœnis, quæ diu protrahe-
 1. bantur, cum dolore immenso ; siquidem reclinare caput nequibat, quin compungeretur magis à spinis, & corpus, è clavis pendens, lacera-
 2. retur. Item desertus erat omni solatio in parte inferiore animæ, quod à divinitate haurire alio-
 qui poterat, sicut in horto ipso destitutus fuit,
 3. ut ab Angelo fuerit confortandus. Tandem videbat se à discipulis desertum, & à gente suâ, & deserendum à plerisque mortalium, quibus incassum forent tot illæ, ac tantæ pœnæ : sic deseri voluit, ut non deserar ego à misericordiâ divinâ : ac ut in desolatione discam esse constans, exemplo Magistri : *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Ps. 70 9.

PUNCTUM III.

PRæter verba illa quæ magna voce dixit, credibile est, sequentia ex eodem Psalmo 21. ubi passio Christi, & quæ tunc agebantur, ad vivum exprimuntur fuisse à Christo submissè recitata. Beatam verò Matrem, in Psalmis exercita-

cita-

citatum, simul recoluisse, & contulisse vaticinium cum re, eundem Psalmum recitando. Potero etiam ego Psalmum illum cum attentione & mora recitare. Sed in ijs ipsis verbis irrisus est Christus à ridiculè interpretantibus illud: *Eli, Eli, Deus meus, Deus meus*, quasi Eliam in *Ps. 70.9.* auxilium vocaret, quod seipsum salvare nequireret: sic undique captatur occasio exagitantem te, Deus meus!

MEDITATIO XLIX.

De quinto Christi verbo: Sitio.

PUNCTUM PRIMUM.

QUOD Christus verè magnam pertulerit sitim: nam à præcedente vespera non biberat; & interea tot circum loca pertractus fuerat cum impetu, & sanguine penè toto exhausto, *aruerat tanquam testa virtus ejus, & lingua ejus faucibus adhaeserat.* In figuram hujus, *Samson*, interfectis inimicis ad mortem, *sitivit*: sed providit ei Deus de *mandibula asini*, qua prostraverat Philistæos. Christo meo non item. *Moses percussit petram virga & hæc aquas largissimas dedit: Petra autem erat Christus*: qui in ligno crucis percussus, non aquam reddit, qua refrigeretur ipse, sed sanguinem, quo nos lavemur, & potemur in vitam æternam. Discam tolerare sitim, & gulæ incommoda.

v.

Verbum

desiderij

Ps. 21.

16.

Jud. 15.

15. 19.

Exod.

17. 6.

PUN-